UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1663

Cap. 3. De Religiosis eiectis, & fugitiuis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-80707

Visual Library

circa ſilentium ac ſolitudinem : hocque non tantùm iuxta Regulæ inſtitutum, ſed etiam ſecundum præſentem obſeruationem. *Cap. licet, de Regularib.* D. Tho. & alij, quos refert, ac ſequitur Laym. *l.4.tr.5.c.6.à n.5.* Leſſi *l.2. c.41.n.103.* Sanch. *l.6. Decal.c.7.*

11 *Quinam poſsint, & non poſsint ad Religionem laxiorem trãſire.*

Regulares Canonici poſſunt ad Monachos tranſire, non è contra. Quia Monachorum auſterior exiſtat, Verum qui profeſſus fuerit Regulam ſtrictiorem, ſi ea non obſeruetur in ſuo Monaſterio, alioue ordinis eiuſdem, nec adſit ſpes reformationis : poterit ad laxiorem tranſire, in quo Regula aſſeruetur. Quia ſtatu præſenti conſiderato, vitam in eo ducit ſtrictiorem. Ex Sancio, & Manuele Roder. Laym. *l.4.tr.5.c.6.n.10.*

CAPVT III.

De Religioſis eiectis, & fugitiuis.

12 *Tres cauſas ob quas qui poſsit è Religione expelli, annumero.*

IVSTAS ob cauſas poteſt Religioſus ex Ordine expelli. Tres præ cæteris annumero. Prima eſt, ſi in graui, vel pernicioſo crimine exiſtens, notorie incorrigibilis appareat. Quo tamen in caſu Moniales eiiciendæ non ſunt, ſed potius perpetuo carceri addicendæ. Secunda, ſi ob criminis perpetrati infamiam ſine graui Ordinis damno tolerari non valeat. Tertia, ſi in admiſſione impedimentum vel eſſentiale, vel ſaltem graue admodum reticuerit, v.gr. lepram qua in re admodum graui decepit : & fraus dedit cauſam admiſſioni. Scio, Religioſum ex communi ſententia annis præteritis propter delictum aliquod graue admodum expelli potuiſſe, etiamſi ſemel id perpetrauerit. Iam tamen Vrbanus VIII. anno 1624. declarauit, Religioſum delinquentem per nulla priuilegia poſſe è Religione expelli, niſi ſit incorrigibilis: talis autem cenſẽdus non eſt, (Pontifex ait) niſi vnius anni ieiunio, ac pœnitentia in carcere ſit probatus. Profectò ſocietas huic Vrbani legi ſpeciali ex priuilegio non ſubeſt Sanch. *l.6. Decal.c.9.n.2.* Nauarrus quem ſequitur Buſembaum *l.4.c.1.dub.6.* Sa *v. Religio, n.34.* Diana *p.9.tr.9.reſol.57.*

13 *Profeſſus eiectus manet Religioſus.*

His præmiſsis profeſsus Religione ob culpam eiectus manet Religioſus vtriſq; adſtrictus. Vnde rerum, quas acquiſierit, vſum, & adminiſtrationem tantũ ſibi poteſt vendicare non verò dominium, nec illud acquiritur Monaſterio, cuius iam membrum non eſt, ſed Eccleſiæ, in qua beneficium obtinuerit : vel Papæ ſi beneficium non habet, & exemptus eſt. Quòd ſi exemptus non ſit Epiſcopo loci. Fugitiui vero, & apoſtatæ (iis exceptis, quæ ex beneficio Eccleſiaſtico accepta ſunt) Monaſterio acquirunt, ſi illud dominij in communi ſit capax. Quia Monaſterium eos ſeruorum inſtar, vẽdicare, ac reducere poterat. Az. Syluelt. Molina, Leſ. & alij, quos affert, & ſequitur Laym. *l.4.tr.5.c.14.*

14 *Nec eſt omnino ab obedientiæ voto ſolutus.*

Si quis per culpam exturbetur, non omnino eſt ab obedientiæ voto ſolutus, etſi eius executio magna ceſſet ex parte. Quia caret ſuperiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud ſeruare in præparatione animi, ſi recipiatur. A reliquis autem Monaſticis obſeruantiis, & Regulis, vt à vigiliis, ieiuniis, ciborum delectu, & ſimilibus eſt liber, quia talium obſeruatio ſimpliciter votorum profeſsionem non comitatur, ſed ſtatum Regularem, à quo eſt expulſus. Sa *v. Religio n.40.* Nauarrus, & alij, quos refert, ac ſequitur Laym. *l.4.tr.5. c.23.*

15 *Tutus in ſæculo manet. ſi in Monaſterio reuerti curãs, non recipiatur.*

Eiectus poteſt tutus in ſæculo manere, ſi in Monaſterio non recipiatur, niſi Religionẽ laxiorem malit inire, quia aliam non vouit, neque per ipſum (vt ſuppono) iam ſtat, quominus in ſua recipiatur. Prælatus verò poteſt aliquem ſub conditione eiicere, vt vel aliam ineat, vel ad ſuam reuertatur. Imo etiam Ordinarij locorum eiectos poſſunt ad hoc cogere; quia tales non ſine periculo, & ſcandalo aliorum degunt in ſæculo. Laym. *l.4.tr.5.cap. 23.n.8. & 9.*

16 *Quid debeant Prælati circa apoſtatas gerere.*

Ordinum Prælati fugitiuos, & apoſtatas tenentur requirere, ſi abſque graui Ordinis dãno poſsint, & illi non omninò incorrigibiles videantur. Partem priorẽ probo, quia iure diuino & naturali tenentur Prælati illorum ſaluti proſpicere qui nondum ſunt ab ordine exturbati. Poſteriorem verò, quia ſi ob iuſtam cauſam poſsint eiici, ob eandem etiam, poſtquam malitiosè exierunt poterunt non recipi. *Fugitiuos & Apoſtatas* dixi, quia per ſententiam iuſtam eiectos, etſi ſe correxerint, abnego recipiendos neceſſariò eſſe. Sanch. *l.6. Decal.cait.4.numer.56.* Az. *l.12.capit.17.* & alij.

17 *De trãſitu ex vno Monaſterio in alind.*

Profeſſus in vno Monaſtero poteſt cogi, vt ſe ad aliud transferat, ſi plura Monaſteria faciant vnum corpus ſub vno capite: ſecus ſi ſingula ſuis ſuperioribus ſubſint ſub Epiſcopo, vel immediate ſub Papa. Quia non vouit obedientiam niſi in hoc Monaſterio. Sanchez, *l.7. Decal.c.32.* Layman. *l.4.tr.5.c.23. numero* 10.

CAPVT IV.

De Nouitiis.

18 *Requiritur ad porfeſsionem ætas 16. annorũ, & annus integer nouitiatus.*

AD profeſsionem emittendam poſt Tridentinum *ſeſsio. 25. capite* 15. requiritur annus decimus ſextus ætatis completus, & probationis integer annus : alioqui irrita erit profeſsio. Nec in hoc malitia ſupplet ætatem, vbi à iure certus numerus, ac determinatus annorum præſcribitur: Rodriguez. *to.3 qq.Reg.q.15. àrticul* 1. *& 3.*

19 *Quomodo computandus ſi annus probationis.*

Nouitiatus annus eſt computandus de momento ad momentum, cum ſit materia fauorabilis. Vnde nouitius poteſt ipſo die, quo annus finitur, profiteri. In anno biſſextili duo dies debent pro vno reputari: & ſic quoad probationis annũ debẽt etiã reputari pro vno, quia cũ materia hęc ſit politica